

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

liana, Serenissimi Principis nostri Ferdinandi soror, p. m. quæ, cum aliquot dies febris continua laborasset, tandem 20. Septembris, diem suum extremum obiit. Juniori Hispaniarum regi despondenda erat, cujus rei gratia vix decem horis, ante præmaturum ac luctuosum Serenissimæ Virginis obitum, Hispani Legati, connubium hoc procuratum huc advenere. Viam quoque universæ carnis ante mensē ingressus est Episcopus Labarensis noster. De hujus successore adhuc ambigitur. Domino Salomoni Egingero, Ecclesiæ olim nostræ Ministro, qui Muraniam superioris Styriæ avocatus est, successurus est noster (ut spero) M. Josephus Röllinus, olim Ecclesiæ Wellensis Minister, jam verò Exul. Vocatus est enim à Dominis nostris Ordinariis, per me, ad Ecclesiam nostram, ex Ducatu Wirtembergico, quo exulatum ante aliquot septimanas abierat. Tabellarius, qui hac de causa Studgardiam, unà cum literis vocationis, ante duas septimanas abiit, nondum adhuc reversus est. Ejus tamen reditum singulis horis avidè expectamus. Benè & foeliciter cum tuis vale. Datum Græcii, prid. Michaelis, Anno 1597.

T. I.

Wilhelm. Zimmerman, D.



LXVII.

*Salutem in Christo.**Reverende & clarissime Domine Doctor, Domine, amice, & Compater honorande.*

Quas à Stephano, præsentium exhibitore, accepi literas, ad M. Colbium directas, meisq; inclusas, per Andream Angerspühlerum, qui 3. Octobris sacris à nobis initiatus est, cum Clagenfurtum rediret, prænominato M. Colbio transmissi. Sed sicut ab hoc nullum ab eo tempore responsum accepi: ita nec Peceelinum vidi, nec ipsius nomine quicquam eorum, quæ ipsi concredidisti accepi. Urgebo tamen, prima quaque occasione oblata, responsum. De rebus bellicis ac Turcicis nihil propemodum apud nos habetur, nisi quod paucos ante dies exercitus noster, ab obsidione Rabana discessit, seque Comorram versus contulit. Causa hujus rei dicitur, quod hostium, seu Turcarum octoaginta millia prope Dorys confluisse dicuntur, quibus nostrates obviam procedere, ac cum illis prælio concertare animum induxerint. Hæc utrum ita sese habeant, nec ne, equidem ignoro. Nostrates obsidionem reliquissè, dubium non est. Quo consilio autem hoc fecerint, ambigitur. Reliqua apud nos in pristino sunt statu, nisi quod 14. rustici Superioris Styriæ,

Syriæ, propter seditionem illius loci excitatam captivi apud nos detinentur, quibus cum haud dubiè malè ageretur. De reliquis puto me tibi scripissè per civem Argentinensem. Scriptionem itaque abrumpo, teque cum tuis valere jubeo. Datum Græcii, 17. Octobris, Anno 97.

T. quem nosti.

Wilh. Zimmerman, D.

LXIIIX.

Salutem in Christo,

Reverende & Clarissime Domine Doctor, Domine, amice, & compater honorandè.

Hodie modo, h. e. 25. Octobris ff. no. Pecilinius tuus me conveniens, & ternas literas, & terna exemplaria Commentariorum fratris tui Dn. D. Erasmi p. m. mihi tradidit, seseque, quibus potuit rationibus, de mora interposita excusavit. Grattias autem tibi ago maximas, pro honorifico, quo in Epistola tua dedicatoria me exornas, elogio, quo sanè me indignum judico. Deberem quidem talis esse, qualis abs te prædicor, sed tenuitatem & indignitatem meam lubens agnosco. Dici autem non potest, quam mihi fratris tui p. m. Commentaria eruditissima placeant, tum propter succinctam breviter, qua in Textus explicatione miro artificio utitur, tum propter doctrinas eruditissimas, quæ ex textus explicatione profluunt. Quod à me petis, ut commoda occasione observata, unà cum Domino Ammanno, & literas & Exemplar transmissum, Dominis Ordinariis tradidit, faciam hoc lubentissimè. Contuli hac de re, hac ipsa hora, in absentia Dn. Ammani, cum D. D. Veneto, tui studiosissimo, & collatis sententiis consultum esse decrevimus, ut & tuæ literæ, & Exemplar tuum, ante tertium Novembris diem, quo major Dominorum Provincialium Pars (der Ausschuss) conveniet, non tradantur. Tum enim Dominus Ammannus ipse huc veniet, & negotium hoc tuum optimè promovebit. Quod nullum D. D. Veneto exemplar transmissum est, sollicitè te excusavi. Curabis autem, ut commoda occasione oblata, quod tuo nomine permisi, tu præstes, h. e. ut abs te exemplar accipiat, cui adjungere poteris adhuc unum exemplar, pro meo genere, M. Daniele Forstmanno, viro doctissimo & optimo, qui quod Geneleos explicationem in nostra Ecclesia, in manibus habet, & tui fratris p. m. Commentariis mirifice delectatur, unice hoc per me abs te petit. Scripsisset ipsemet tibi hac de re, nisi hac septimana hebdomadarius fuisset, hancque ob causam usque aded negotiis obrutus, ut singulis diebus singular conciones Funebres, propter ægrotantium mul-